





66. 57.  
I. N. D. N. J. C.

Disputatio Juridica

De

INJURIIS,

QUAM

Approbante amplissimo & nobilissimo  
Jctorum in Illustri Academia Regio-  
montana ordine,

P R E S I D E

ADAMO RICCIO J. U. D.

& Professore Primario, &c. Dn. præceptore & fautore  
suo omni observantiæ & honoris cul-  
tu protequendo.

*Publicè examinandam exhibet*

FRANCIS: HERMANNUS von Puttkamer  
Livonus.

In auditorio majori,

*Ad diem April.*

---

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS,  
ANNO CIO. M. C. XLVI.

M. D. C. C. C.

Dignatio Juridica

IN JURIS

Approbatio

ADAMO RICCIOTI

FRANCIS HERMANNIS von Döllinger

In medicina majore

Ab dem April

REGIUM ET ALTIORUM

Anno etc. etc.



**Q**uisquis Parentum, pro salute Natorum  
Propter Camœnas exfulantium, vota  
Piosq; fletus supputare confidit,  
Maris ille guttas pulveremq; telluris  
Ad calculos vocare nititur demens.  
Nil vindicem æquè dexteram Dei arcescit,  
Nihilq; tristes provocat magis diras,  
Quàm si juvenus otioq; luxuq;  
Preces Parentum mollis improba eludat,  
Tranquilla si cui conscientia est cordi,  
Si quis peroprat horridis senectutem  
Vacare curis sorteq; anxia vitam,  
Vacet malignæ noxiis juventutis  
Morum sequutus innocentiam, seque  
Scientiarum nectare expleat dulci  
Seu promat almam seu premat facem Titan.  
Dum vegeta primulo igne mens adhuc feryet,  
Rebusq; cunctis vernat apta discendis  
Instarq; ceræ flexilis potest fingi,  
Qualis juventæ collocat dies pulchrè  
PVTKAMMERVS, Parente digna propages,  
Putkammeranæ vividum decus gentis,  
Memor ille fidi Patris usque mandati,  
Precumq; Matris fletuumq; largorum  
Nihil Vacunæ se faterur aut turpi  
Debere Baccho, Cypridis nihil Nato,

Sed

Sed gnaviter se nunc scientiæ juris  
Nunc civitatis optimè administrandæ  
Indulget arti. Sæpe publicos solers  
Profert in usus diligentiam privam,  
Et Eruditis testibus sapit, quærens  
Fausa probari voce Literatorum.  
Vel hæ loquuntur istud affatim chartæ,  
Injuriarum queis modosq; nodosq;  
It explicatum vindicans decus justi,  
Et multa legum pensitans ad examen.  
Quis nolit illum clamitare felicem,  
Parentibusq; gratularier talem;  
Adeò fragilis est atque lubrica hæc atas,  
Ut, si quis hinc illæsus efferat gressum,  
Minore non sit prosequendus applausu,  
Quàm navisorbas puppis enatans syrtes.

*SIMON DACHIUS.*



CUM BONO DEO!  
DISPUTATIO  
De  
INJURIIS.

THESIS I.



Injuria ex eo vocata est, quod non jure fiat, seu quod jure & Justitia careat, quasi non jura, *l. i. pr. D. b. t.* Quemadmodum enim in compositione particula IN sæpe aliàs; ita & hinc significationem minuit: quamvis nonnunquam etiam eam augeat, ut in voce infractus & aliis.

Th. II.

Sumitur in jure nostro vel generaliter pro omni eo, quod non jure sit; vel specialiter, & iterum tribus modis: 1. pro culpa, ut in L. Aquilia damnum injuria datum accipitur. 2. pro iniquitate, seu iniqua Judicis sententia. 3. & frequentius pro eo, quod sit contumeliæ causa, *pr. J. & l. i. D. b. t. Schneid. Rittershus. ad pr. J. b.* quæ significatio hujus loci est.

Th. III.

In hac significatione injuria etiam sæpe contumelia nominatur, ut in *l. 17. S. 3. b. t.* & passim alibi. Neq; enim discrimen illud, quod inter injuriam ac contumeliam Senec. *lib. de Constant. Sapien. c. 4.* facit, dum illam natura graviorem, hanc leviorem, & tantum delicatis gravem asserit, Jcti agnoscunt; *Rittersb. d. l.* Græcis dicitur *ἰβρῆς pr. Inst. b. t.* Germ. *Schmach, Schmähung/Ehrenverlethliche Aufslag; Schard. in Lexico Juris in verbo injuria.*

A

Th. IV.

Th. IV.

Definiri injuria potest, quod sit delictum, *Rub. junct. princ. Inst. de Obligat. quæ ex delicto nascunt.* plerumq; privatum l. 7. §. ult. C. b. t. nonnunquam etiam publicum l. 6. D. b. t. l. 10. & ibi *Gothofred. C. de Episcopis & Clericis*, in alterius inviti, l. 1 §. 5. D. b. t. contemptum, infamiam, invidiam, vel pudorem *pr. Instit. l. 1. in fine pr. & §. 5. l. 5. §. 5. l. 38. D. b. t. dolo malo l. 3. §. 1. seqq. D. b. t. admissum.*

Th. V.

Divisiones injuriæ præcipuæ sunt I. quod injuria alia sit verbalis, (liceat ita loqui cum interpretibus) quæ verbis; alia realis, quæ re fit, l. 1. §. 1. D. b. t. de quo latius infra. II. Quod alia sit atrox seu gravis, alia levis seu vulgaris, §. 3. & 9. *Inst. l. 7. §. 2. l. 17. §. 3. D. b. t.*

Th. VI.

Atrox injuria aestimatur I. ex facto seu re ipsâ, ut si quis ab alio vulneratus, vel fustibus caesus, vel os alicui percussum sit, §. 9. *Inst. & l. 7. in fine D. b. t.* II. Ex magnitudine vulneris l. 8. D. b. III. Ex loco vulneris, veluti si in oculo quis percussus fuerit, d. §. 9. *Instit. b. & d. l. 8. D. b. t.* IV. Ex loco in quo facta est injuria, ut si illata sit in theatro, in foro, in conspectu Prætoris d. §. 9. *Instit. d. l. 7. §. fin. l. 9. §. 1. D. b. t.* V. Ratione temporis, veluti si injuria inferatur tempore festivitatis, nuptiarum, convivii, ludorum, diebus festis, interdiu &c. d. l. 7. §. 8. b. t. l. 4. C. cod. l. 16. §. 5. de penis. VI. & præcipuè ex personis tum facientibus, tum patientibus injuriam, ut si injuriâ affectus sit Magistratus à subdito, parens à liberis, patronus à liberto, in dignitate constitutus à persona humili. d. §. 9. *Instit. & d. l. 7. §. ult. D. b. t.* homoliber à servo l. 17. §. 3. D. b. t. Hinc DD. etiam referunt injuriam factam Præceptori à Discipulo. *Boet. class. 4. Disput. 4. thes. 38.* quo facit illud *Juvenalis Satyr. 7. Dij Præceptorem sancti voluere parentis esse loco.* Item injuriam ingestam fratri à fratre, hospiti ab hospite. *Wurms. pract. observo. tit. 47. de injuriis obs. 9.*

Th. VII.

Injuria levis quæ fit, ex iis, quæ jam dicta sunt, faciliè intelligetur



getur: Quam enim injuriam atrocem non poterimus appellare, ea levis erit. *arg. pr. Inst. de his qui sui vel alieni Juris sunt l. 1. §. 5. de stipul. Prator. l. 8. pr. de accusat.* quod tamen arbitrio Judicis æstimandum statuo *cum Bocero d. l. thes. 43. ubi ad hoc allegat Menochium.*

#### Th. VIII.

Circa injuriam porro videndum est i. quomodo ea inferatur.  
2. Quomodo illata vindicetur.

*Hic modus, hæc nostro signabitur arca curru,*  
*Hæc erit admiffa meta terenda rotâ.*

#### Th. IX.

Quomodo injuria inferatur, æstimatur partim ex personis, injuriam cum facientibus, tum patientibus, partim ex injuria modo. *Bocer. d. l. th. 4.*

#### Th. X.

Injuriam posse facere eos, qui pati possunt, ait Jctus *in l. 3. pr. D. h. tit.* Sed cum hoc non sit perpetuum, uti *in d. l. 3. §. 1. & 2.* ostenditur, rectius fortasse dicitur, injuriam fieri non posse, nisi ab iis, qui doli capaces sunt, *per d. l. 3. §. 1. & seqq. D. h. t.*

#### Th. XI.

Non igitur injuriam facere possunt i. bruta animalia *per §. 2. Inst. & l. 1. §. 3. D. Si quadrupes pauper fecisse dicatur*, licet nobis nocere possint, ut ferrum, aut lapis *Sen. l. 2. de irac 26.* 2. furiosi *l. 3. §. 1. D. h. t. l. 40. D. de R. 7.* Sed ii, qui, ut ait Jctus *in l. 14. de Officio Praesidis* continuâ mentis alienatione omni intellectu carent: qui enim habent intermissionem, eo tempore possunt *arg. l. 20. §. 4. D. qui testam. facere possunt.* 3. Impuberes adhuc infantes, vel infantia proximi *d. l. 3. §. 1. D. h. t. §. 9. Inst. de inutil. stipul.* nam in pubertati proximis secus esse, ostendunt satis *l. 23. de furt. l. iii. de R. 7.* quamvis commiseratione ætatis mitiori poenâ plectendi sint, cum non ita in pueris, quemadmodum in majoribus, delicta puniri debeant,

*c. pueris 1. extr. de delictis puerorum.* 4. Dormientes, per l. 1. §. 3. de acquir. possess. c. unic. de homici. in Clement. Wesenb. in paratit. ad h. t. num. 4. Gail. 2. observ. 110. n. 30.

#### Th. XII.

Idem affirmandum de extremè ebrio, arg. l. 11. §. 2. de panis. l. 6. §. 2. de re milit. c. venter. distinct. 35. c. sanè c. inebriarunt. quest. 1. caus. 15. modò casu quodam & inopinatò talis factus sit. Si quis enim sciens prudensq; enormem ebrietatem contraxerit, aliud videtur statuendum, maximè si is rixosus esse, & turbas excitare confecerit, seq; ebrium tali vitio laborare non ignoraverit, per notata à Gail. 2. observ. 110. num. 29.

#### Th. XIII.

Malè autem his adduntur à nonnullis prodigi, quos doli incapaces æstimare perabsurdum fuerit, ut ait Bachov. ad Treutl. 2. Disp. 30. th. 6. lit. A. malè etiam ni fallor, irati, maximè ii, quorum ira justo dolore non fuit excussa. arg. l. 5. C. h. t. l. 7. §. ult. ad l. Juliam repetund. P. H. D. art. 137. junct. l. 7. ad l. Corneliam de Sicariis & per ea quæ tradit Gail. 2. Obs. 106. n. 8. & seqq. quamvis mitiori poenæ interdum locum esse posse, non negaverim. Philip. Matth. ad l. 48. d. R. 7.

#### Th. XIV.

Cæterum facit aliquis injuriam non solùm proprio instinctu, sed & concitatus ab alio. l. 11. §. 3. & 4. D. h. t. etiam Domino vel patre d. l. 11. §. 5. l. 17. §. 7. D. h. t. arg. l. 20. D. de O. & A. junct. l. 157. de R. 7. Wesenb. h. t. n. 5. & facit non solùm per se, sed & per alium, cui persuasit, mandavit, ut injuriâ alterum afficeret. §. 11. Instit. h. t. l. 5. §. 9. l. 11. pr. §. 3. & seqq. l. 15. §. 2. & 3. D. eod. delicto tamen inde secuto d. l. 15. §. 10. D. h. t.

#### Th. XV.

Quod posterius etiam tunc verum esse puto, cùm mandataris, etiam si mandatum non accessisset, injuriam tamen nihilominus  
nus

nus facturus erat. Quando enim mandatam cadit in delictum, non est adhibenda distinctio, an mandatarius esset facturus vel non? ut ait *Clar. s. sent. §. ult. q. 89. n. i. facit l. i. §. 4. D. de serv. corrupt.*

Th. XVI.

Quod si à pluribus injuria sit exorta, singuli injuriam fecisse intelliguntur, & in solidum etiam tenentur, cum tot sint injuriæ, quot personæ injuriam facientes, *l. 34. D. b. t. Wesenb. d. l. n. 5.* modo tamen plures per se injuriam ingesserint; secus si curaverint tantum, ut alius eam inferret, *per l. 9. in fin. D. de Jurisdic.*

Th. XVII.

Pati injuriam possunt homines liberi, etiam ii, qui injuriam facere nequeunt, ut furiosi &c. *l. 3. §. 1. D. b. t.* Servi verò licet contumeliam facere possint. *l. 17. §. 4. D. b. t. l. 14. de O & A.* ipsis tamen quæ talibus, & hoc effectu, ut agere possint, nulla injura fieri intelligitur, *§. 3. & ibi Glos. Inst. b. t.* cujus ratio est in *l. 32. de R. J. l. 3. in fine de Capit. minut.*

Th. XVIII.

Patimur verò injuriam vel immediatè in personis propriis, cum directò nobis injuria inferitur, sive coram presentibus sive absentibus. *l. 1. §. 3. l. 15. §. 7. D. b. t.* vel mediatè in persona alterius, cum injurià alteri facta per consequentias in nos redundat *d. l. 1. §. 3. D. b. t.*

Th. XIX.

Personæ istæ, in quibus mediatè injuriam patimur, sunt i. servi, proprietate vel in totum vel ex parte nostri, *§. 3. & 4. Inst. b. t.* etiam si alius in illis usum fructum habeat, aut eos bonâ fide possideat, *§. 5. & 6. Inst. l. 15. §. 47. D. b. t.* ita tamen, si quid atrocius in eos commissum fuerit, vel quod apertè ad contumeliam nostram spectet, licet non sit atrox. *l. 8. C. b. t. d. §. 3. & ibi glos. Schneidw. Inst. eod.*

Th. XX.

2. Liberi homines, & servi alieni, bonâ fide nobis servientes,  
item

item servi, in quibus usum fructum habemus, eo casu, quo in contumeliam nostram injuriis onerati fuerunt, *d. §. 6. Institut. & d. l. 15. §. penult. D. h. t.*

Th. XXI.

Sed cum hodiè vetus illa servitus inter Christianos ferè sublata sit, quæritur, an etiam hodiè per famulos, ancillas, aliasq; personas liberas, quarum operâ utimur, injuria nobis fiat? Quod affirmatur, si personæ istæ in contumeliam nostram injuriosè tractatæ fuerint. *arg. d. §. 6. Institut. & d. l. 15. §. pen. D. h. t. Schneidw. ad §. 5. & 6. Inst. h. t. n. 2. & DD. pleriq; teste Schultz. in Synopsi ad hunc tit. lit. H.*

Th. XXII.

Ex eodem fundamento porro DD. rectè videntur concludere, per injuriam satelliti vel iudito, Vasallo, Monacho impositam, Magistratum, Dominum Feudi, Abbatem contumeliâ affectum censerî, si in contemptum & contemplatione Magistratus, Domini Feudi, Abbatis satelles vel subditus, Vasallus, Monachus injuriis exagitatus sit, aliàs minimè. *Schneid. d. l. n. 4. Wesenb. d. l. n. 6.*

Th. XXIII.

3. Liberi in potestate nostra existentes, §. 2. *Inst. l. 1. §. 3. h. t.* etiam si eis volentibus injuriosum quid contingat, *d. l. 1. §. 5. D. h. t.* 4. Uxores, *dd. ll.* 5. Sponsæ, *l. 15. §. 24. D. h. t.* 6. Nurus, quarum mariti in nostra potestate sunt, *d. §. 2. Inst. & d. l. 1. §. 3. h. t.* modò injurians sciat, eos, quibus injuriam infert, tales personas esse, licèt in quorum potestate, vel quorum uxores, sponsæ, nurus sunt, ignoret. *per l. 1. §. 8. l. 18. §. pen. & ult. D. h. t. Schneid. ad §. 2. Inst. h. t. n. 6.*

Th. XXIV.

Unde apparet, per unam contumeliam quatuor nonnullam personis injuriam infligi posse, veluti si ea fiat filix familias, quæ nupta est filiofamilias, quo casu & mulier, & ejus pater, & maritus, & hujus pater injuria afficitur; *d. §. 2. Institut. & d. l. 1. §. 3. D. h. t.*

Th. XXV.

Th. XXV.

Extra dictas, in thesi 24. personas si cognatis vel affinibus nostris injuria illata sit, ea quoad effectum agendi regulariter ad nos non spectat, ne quidem contumelia fratri vel sorori, patri vel matri facta, *arg. ex. d. §. 2. ibi*, per liberos suos, quos in potestate habet. *Inst. h. t. argumento à contrario ducto, quod in jure Instit. & D. validum esse DD. attestantur, quotiescunque propria ratio, aut expressi non repugnant textus. facit præterea l. 17. §. ult. D. h. t. Rittersh. & Schneid. ad §. 2. Inst. h. t. Bachov. ad Wesenb. n. 6. Bocér. d. l. th. u.*

Th. XXVI.

Sic nec injuria marito vel sponso iniusta, uxori vel sponsæ ejus illam parit injuriarum obligationem, *d. §. 2. Inst. l. 2. D. h. t.* quamvis accidere interdum possit, ut ista uxorem vel sponsam quoque contingat, veluti si alicui objiciatur, quod sit meretricis maritus aut sponsus, quo casu uxor vel sponsa in propria persona injuriâ laeceratur. *Schneid. ad §. 2. Inst. h. t. n. 14. Bachov. ibi in fine ferè.*

Th. XXVII.

7. Et ultimo defuncti, quibus aut hæredes, aut bonorum possessores extitimus, ut, si eorum cadaveribus, funeribus, aut ossibus injuria inferatur. *l. 1. §. 4. & 6. D. h. t. l. 8. pr. de relig. & sumpt. fun. vel fama laceffatur. d. l. 1. §. 4. vers. idemq; D. h. t. vel statua in monumentis posita saxi cadantur, l. 27. D. h. t.*

Th. XXVIII.

Modus inferendæ injuriæ est, quod injuria fiat vel verbis, vel re seu facto. *l. 1. §. 2. D. h. t.* Verbis iterum aut ore prolatis, aut in scripturam redactis. Malo enim cum Suth. *dissert. 16. ap/32. Gail. 2. obs. 104. Bachov. ad §. 1. I. h. t. Wesenb. d. l. n. 3. Bocér. d. l. th. 28.* injuriam scripto comprehensam, sub injuria verbali comprehendere, quàm cum Rittershusio & aliis nonnullis separatam ab ea speciem consti-

constituere. Re etiam aut in corpus, aut extra corpus, *Treutl. 2. disp. 30. th. 5. lit. D. & E.*

Th. XXIX.

Verbis ore prolatis injuriâ fieri dicitur, generatim quidem, cum in aliquem non modò nominatum, sed etiam indicatum saltem verba contumeliosa seu probrosa pronunciantur, sive ista verba delictum aliquod commissum, vel in genere, vel, quæ injuria atrocior est, in specie denotent: Sive non quidem delictum denotent, aliquem tamen contemptibilem reddant. *Wesemb. d. l. n. 8.* quod si fiat pluribus verbis cum vociferatione in coetu, vocatur convitium, vocabulo strictè sumpto: sin secus, maledictum, *l. 15. §. 4. ii. 12. D. hoc tit. Boccr. d. l. thes. 29. Hillig. ad Donell. 15. comment. 24. l. C.*

Th. XXX.

Speciatim verò, si quis aliquem appellet delatorem seu proditorem, *l. 3. C. b. t.* homicidam *l. 5. C. b. t.* latronem, adulterum, furem, nebulonem, scurram, spurium, cæcum, claudum, mendicum, *Donell. d. l. Wesemb. d. l. Rittersh. & alij ad §. 1. Instit. h. t.* servum, qui sit liber *l. 11. §. fin. D. b. t. l. 9. 10. C. b. t.* debitorem suum, qui nihil debeat, *l. 15. §. 33. D. b. t.* plebejum, qui sit nobilis. *Rittersh. d. l.* si quis alicujus sive masculi sive fœminæ, non meretriciæ vel ancillari, sed debitæ veste indutæ, pudicitiam blandis verbis attentet, seu ex persona pudicæ impudicam facere tentet. *§. 1. Inst. h. t. l. 9. §. ult. l. 10. l. 15. §. 15. & 20. D. b. t.* si quis turpibus saltem verbis ad virginem vel matronam utatur. *d. l. 15. §. 21. D. b. t.* si quid, quod pudorem alicujus lædat, publicè cantet. *d. l. 15. §. 27. D. b. t.* si quis nullâ injuria laceffitus, mentiri aliquem dicat. *Wesemb. h. n. 28. Boccr. th. 30.* si quis alteri mala ac diras imprecetur, veluti: ut furca suspendatur, rotâ frangatur, peste corripatur, *arg. d. l. 15. §. 5. & 6. D. b. t. C. J. A. ad tit. de injur. th. 5.* si quis alicui dicat, tu es vir honestus scilicet, vel si de quopiam absente per ironiam dicat, ille est vir bonus, eruditus advocatus, peritus Medicus, eximius Philosophus. *C. J. A. d. l. & aliis ejus generis verbis,*

Th. XXXI.

Th. XXXI.

Verbis in scripturam redactis fit injuria, cum verba injuriosa non quidem ore proferuntur, sed tamen quoquo modo scribuntur. *Vult. f. R. l. 1. c. 49. num. 14.* quo modo injuria facta in specie famosus libellus *rubr. D. h. t. rub. & l. un. C. de famosis libell. carmen famosum. l. 21. pr. D. de testibus l. 18. § 1. D. qui testamenta facere possunt,* appellatur, non quidem quod verè inurat infamiam argum. *d. l. un. C. de famos. libell.* sed quod hoc agat, quantum in se est, injurians. Hodie vocatur Pasquillus, quod Romæ ad truncam Pasquini cujusdam statuum libelli famosi affigi soleant. *Hillinger. ad Donell. 15. com. 24. D.*

Th. XXXII.

Delicti autem famosi libelli aliquis reus fit, librum, carmen, historiam, vel aliam scripturam infamatoriam componendo, scribendo, edendo, dolomalo faciendo, quod quid eorum fieret, inventum quovis modo divulgando, sive utriusq; tam authoris quam diffamati, sive alterius, sive neutrius, nomen adscriptum sit. *§. 1. Inst. l. 5. §. 9. l. seq. D. h. t. l. un. C. de famos. libell.*

Th. XXXIII.

Re injuria in corpus fit, cum alicujus corpus contumeliosè tractatur, ut si quis vulneretur, *§. 9. Inst. h. t. verberetur, vel pulsatur, §. 1. Inst. l. 1. §. 2. l. 5. in pr. & §. 1. D. h. t.* si stuprum alicui inferatur, *l. 25. D. h. t.* vel stupri causa in aliquam personam irratur. *Bocer. d. l. th. 26.* si mens alicujus medicamento, vel alio quoputa amatorio poculo alienetur, *l. 15. pr. D. h. t. junct. l. 38. §. 5. D. de penis,* si quis fimo corrupto perfundatur, coeno aut luto obliniatur, *l. 1. §. 1. de extraord. crimin:* si alicui barba expiletur & vestis scindatur, sicut Legatus Regis Davidis factum est à Rege Ammonitarum, *2. Sam. 20.* & aliis multis modis.

Th. XXXIV.

Re injuria extra corpus fit, quando citra corporis laesionem

B

ali-

alicui alicuius contingit, quod ad ipsius infamiam pertineat, vel  
 uti si janua alicujus effringatur, *leg. 53. pr. D. de furti: domus vi in-*  
*troeatur, §. 8. Institut: l. 23. D. b. t. bona, vel res una tanquam debi-*  
*toris, cum non esset, occupentur, §. 1. Instit: l. 15. §. 31. D. b. t.* si quis  
 matrem familias, aut prætexitatum prætexitatamvé contra bonos  
 mores adfectatus fuerit, *d. §. 1. Instit: b. t.* aut comitem ejus abdu-  
 xerit, vel saltem appellaverit, seu etiam adfectatus fuerit, *l. 1. §. 2. l. 15.*  
*§. 15. & seqq: D. b. t.* si quis aliquem non quidem pulsaverit, verùm  
 manus adversus eum levaverit, & sæpè terrerit, quasi percussurus,  
*l. 15. §. 1. D. b. t.* si quis vexandi causa aliquem in judicium vocet, *l. 15.*  
*§. 3: D. b. t.* si creditor à debitore solvere parato solutionem recipere  
 nolit, sed fidejussores in injuriam ejus interpellet, *l. 19. D. b. t.* si  
 creditor domum absentis debitoris propriâ autoritate signaverit,  
*l. 20. D. b. t.* si quis aliquem prohibeat uti vel re suâ pro lubitu & ar-  
 bitrio, vel rebus publicis, tanquam publicis, *l. 13. §. fin. l. 24. D. b. t. l. 25.*  
*de act: empr: si Magistratus aliquem injustè in carcerem conjiciat,*  
*per: l. 32. D. b. t.* Si quis alicui aquas contumeliosè spurcet, fistulas,  
 lacus, quidvé aliud contaminet, *l. 1. §. 1. D. de extraord: crimin: si li-*  
 tigator judicem aut arbitrum sine causa spernat, *l. 9. in fin: l. 10. &*  
*seq: D. de recept: qui arbit: si quis recuset idoneos suscipere fide-*  
 jussores, *l. 5. §. 1. qui satis d. cog.* si quis literas alicujus signet, resi-  
 gnet, legat, celet, *l. 41. D. ad l. Aquil: si quis ad alterius contume-*  
 liam linguam exserat, oculos distorqueat, medium digitum alicui  
 ostendat, eiconiam pingat, *Ritters: b. ad §. 1. Instit: b. t.* si quis ad  
 ignominiam alterius, veste aliquâ, quam non licet ei gestare, utatur.  
*Schneid. ad §. 1. Instit: b. t.* si quis personam vel bona alicujus  
 iniquè detinuerit, aut arresto præcluserit. Videantur alii modi in  
*l. 15. §. 27, 30, 32. l. 22. l. 37. l. 38. l. 39. l. 44. D. b. t. l. 6. ad leg: Juliam*  
*de Adult:*

Th. XXXV.

Cæterùm quemadmodum aliàs delicta ex animo committentis æstimantur, & voluntas ac propositum delinquentis maleficia distingvit, *l. 53. pr. de furt: l. 14. ad Leg: Corn: de sicar:* ita etiam injuria, quocunque modo fiat, animum injuriandi & contumeliæ



melia inferendæ semper requirit, nec sine affectu facientis unquam consistit, *l. 3. §. 1. D. h. t.* unde & Senec: *l. 2. de ira cap. 26.* ait: nulla est injuria, nisi à consilio profecta.

Th. XXXVI.

Non ergo facit injuriam, qui alterum percutit aut per jocum, aut dum certat, aut dum eum servum suum esse existimat, aut cum servo suo pugnum ducere vellet, *l. 3. §. 3. & 4. l. 4. D. h. tit.* qui jure publico vel suo utitur, *l. 13. §. 1. D. h. t. l. 55. de R. J.* aut jure potestatis aliquid facit, *d. l. 13. §. 6. l. 33. D. h. t.* modò non excedantur officii fines, *l. 32. & ibi Gothof. D. h. t.* qui non ad ultionem, sed ad defensionem vel vitæ vel pudicitia vel existimationis, vel juris sui, modo tamen servato, injuriosum quid committit, *per l. 3. D. de J. & F. l. 1. §. 4. ad leg. Corn. de sic. l. 25. de Procur. l. 45. §. 4. D. ad leg. Aquil.* Ex quo DD. nonnulli inferunt excipientem in judicio contra testes, quòd sint falsarii, improbi, criminosi &c. non solum si id probaverit, sed etiam si non probaverit, injuriarum tamen non teneri, *Fachin. g. controuv. 13.* quibus tamen, quod ad posteriorem casum attinet, simpliciter assentiri nequeo, *per ea, quæ tradit Schneid. ad §. 1. Inst. h. t. n. 17. Gail. 2. obs. 101. n. 7.*

Th. XXXVII.

Animus autem injuriandi semper præsumitur adfuisse, quoties id, quod dicitur aut fit, vel naturâ suâ, vel moribus contumeliosum est: cui præsumptioni tamdiu statur, donec probetur contrarium, *l. 5. C. b. t. Subb. dissert. 16. Aphor. 57. Gail. 2. observ. 106. m. m. 1. Trentl. 2. disput. 30. th. 5. lit. B.* quod per juramentum purgationis regulariter fieri non potest, sed saltem nonnunquam ex æquitate, consideratis personis, & aliis injuriæ circumstantiis, *per notata à Gail. d. observ. 106.*

Th. XXXVIII.

Et hæc conclusio etiam tum procedit, cum quis de contrario animo protestatur, vel præfatione honoris utitur, sive protesta-

tio illa & honoris præfatio injuriam præcedat, five eam sequatur,  
per ea, que tradit Gail. 2. observ. 101. n. 1. 23. Schneid. ad §. 1. Inst. h. t. n. 8.  
Wesensbec. h. n. 8. Treutl. d. l. lit. G.

Th. XXXIX.

Quin licet illud, quod alicui objicitur, omninò ita se habeat, injuria tamen adhuc facta censetur, nec veritas convitii injuriantem excusat. l. 3. ibi. nam si verè voces sint, nec ad libidinem der clientelas effusa, C. de offic. Rector. provin. Wesens. h. n. 8. Treutl. d. l. Gail. 2. obs. 99. n. 2. seqq. Mynsing. 4. obs. 4. n. 1.

Th. XL.

Quandoque tamen præsumptionem istam reperimus cessare, & ab aliis fortioribus conjecturis excludi: veluti si parentes liberos, mariti uxores, patroni liberos, præceptores discipulos, propinqui seniores propinquos juniores objurgent, aut coërceant, seu castigent: nam illud magis emendandi & corrigendi, quàm injuriandi animo facere censentur, nisi atrocitas facti aliud svadeat. l. un. C. de emendat. propinq. l. 7. §. 2. 3. l. 11. §. 7. 8. D. l. 6. C. h. t. l. 13. §. 5. D. locat. l. 5. §. ult. D. ad legem Aquil. Gail. 2. obs. 106. n. 6. C. J. A. ad hunc rit. t. b. 12. n. 37. seq. Si astrologus, vel qui aliquam illicitam divinationem pollicetur, consultus, aliquem furem dicat, qui non est. l. 15. §. 13. D. h. t. non enim infamandi, sed artis suæ exercendæ causâ id videtur fecisse. Item si alicui delictum aliquod objiciatur, quod detegit Reipubl. interfit. l. 18. pr. D. h. t. quo tamen casu, si probari possit, animum injuriandi adfuisse. neq; criminis enormitas, neq; veritas objicientem excusabit. l. 5. C. h. t. l. 3. C. de off. Rector. provinc. facit. c. cum. minist. 14. c. relegendes 45. caus. 23. qu. 5. Suth. dissert. 16. aphor. 59. Gail. 2. obs. 99.

Th. XLI.

Quod si id, quod dicitur, aut fit, naturâ suâ, aut moribus injuriosum non sit, tunc actor probare compellitur animum injuriandi. quod nisi fecerit, reus absolvetur. l. 2. D. l. 23. C. de prob. l. 4. C. de edendo. Treutl. sup. alleg. loc.

Th. XLII.

Th. XLII.

Vidimus ita hactenus, quemadmodum injuria inferatur: explicandum nobis jam porrò est, quomodo ea illata vindicetur, quod fit vel extra judicium, vel in judicio.

Th. XLIII.

Extra judicium vindicatur injuria illata maximè per retorsionem, cum quis injuriam verbalem sibi illatam in ipsum injuriantem retundit; quæ si legitimè facta sit, eâ utentem injuriarum teneri nego cum *Suth. diss. 16. aphor. 56. Facin. 9. controvers. 12. Gail. 2. obs. 100. Mynsing. 5. obs. 17.* licèt non defint, qui contradicant, quos adducit *Facin. d. 1.*

Th. XLIV.

Legitimè autem facta retorsio censetur, si aliquis eam usurpet, non aliâ quàm honoris sui tuendi causâ, quod DD. inde æstimant, si fiat i. ad objectionem non veri, sed falsi criminis, *C. 7. Arg. ad h. t. th. 16. num. 3.* 2. non ex intervallo, sed in continenti, *argum. l. 12. §. i. ibi, mox D. quod metus causa, l. 1. & ibi Dd. C. unde vi.* Quare si quis absens injuriâ affectus sit, statim re cognitâ, cum commode potest, injuriam retorquere debet; quod hodie per notarium & testes singulariter ad id convocatos fieri solet. *Bocer. d. disp. th. 45. & seq. Coll. 7. Arg. ad h. t. th. 19. num. 4. & 8.* 3. Illis tantum verbis, quæ non ad ultionem, sed ad excludendam injuriam illatam tendunt: qualia sunt: *Istud tu mentiris, ut fur ac scelestus: ejus delicti, quod tu mihi objecisti, tamdiu te reum judicabo, donec de eo abs te convictus fuero: Tu verò hoc loqueris, non ut vir, honestus, & verax, sed tanquam impudens & injuriosus, mendax & calumniator. Solches redest du / nicht wie ein wahrhaftiger vnd redlicher Mann / sondern als ein wissenschaftlicher verlogener Ehrendieb. Bocer. d. th. 45.* Quod si quis eum, à quo e. g. fur aut latro appellatus fuit, vicissim furem aut latronem appellet, excusatus non est, sed uterq; & provocans, & provocatus injuriæ obnoxius

xius est: quamvis hic mitius puniri debeat, quòd iustum animi  
dolorem temporare difficile est, *l. 38. §. 8. D. ad leg. Jul. de adult. Mynf.*  
*d. obs. num. 3. Gail. d. obs. n. 9. §. 10. Schneid. ad §. 1. Inst. b. t. num. 12. & ad*  
*§. in bone fidei Inst. de Action. n. 24. & seqq. C. F. A. b. th. 19. n. 3.*

Th. XLV.

Retorsione ita legitime factà, replicare provocanti contra  
non licet. *Bocer. in annot. ad d. th. 45. lit. F. retorsionis enim retor-*  
*sio in communi praxi rejicitur. Coll. f. Arg. ad h. t. th. 23. Quod*  
*si innocenti sub specie retorsionis mentita, uti loquuntur, dicta*  
*sit, aliud dicendum videretur. Coll. f. argum. d. l.*

Th. XLVI.

In iudicio vindicatur injuria illata per actionem injuria-  
rum cùm rei persecutoriam, tum pœnalem: quarum tamen neu-  
tra locum habet, si læsus jam retorsione usus sit, quippe cùm per  
hanc injuria in injuriantem quasi transferatur, & retorquens se  
ipsum vindicem & iudicem faciat. *Locam. quest. Just. 354. Bachov.*  
*ad Treutler. 2. disputat. 30. thes. ult. in fine.*

Th. XLVII.

Actio injuriarum rei persecutoria, est actio ad palinodiam,  
seu recantationem, seu reclamationem, auff einen Widerruf /  
non legibus nostris, sed consuetudine primùm introducta, ac po-  
steà ab Imper. Carolo V. in ordin. Cam. Augustane part. 2. titul. 28.  
§. vnd sonderlich. comprobata, quæ tendit non ad pœnam aliquam,  
sed simpliciter ad restitutionem honoris, quem vulgus errore quo-  
dam per injuriam auferri existimat. *Locam. quest. Just. 353. Bachov.*  
*ad §. 7. Inst. b. t. & ad Treutler. d. th. 4. Schultz. in synopsi Instit. ad*  
*b. t. l. l.*

Th. XLVIII.

Ex quo sequitur, I. actionem hanc non esse criminalem, sed  
civilem. II. posse eam cum actione injuriarum pœnali cumulari,  
& vel

& vel cum ea, vel post eam institui. *arg. l. 7. §. 1. de condict. furt. Locam. d. quæst. 353. Bachov. ad Treutl. d. l. Gail. d. obs. 65. Mynsing. 2. obs. 98.* III. ad palinodiam urgeri non posse crimen obiectum probare paratum: ad nullam enim famæ restitutionem teneri quis potest ei, qui famæ jure jam privatus est: absolumq; est, ut, qui verum dixit, id recantet. *Hillig. ad Donell. 15. Comm. 24. H.*

#### Th. XLIX.

Actio injuriarum pœnalis iterum duplex est: una ex prætoris jurisdictione constituta; & altera ex jure civili, specialius sic dicto, profecta: quæ ut illa generalis est, & pro quacunq; injuria five verbali, five reali moveri potest, *l. 15. §. 27. l. 5. §. 6. D. §. 7. & seq. Inst. b. t. Bocer. d. l. th. 57. Schneid. ad §. 7. Inst. b. t. Treutl. d. disp. th. 6. lit. G.* hæc specialis, in quibusdam injuriæ speciebus locum habens, veluti si quis pulsatus verberatusve domusve ejus, quam inhabitat, vi introita sit: quibus casibus lex Cornelia actionem introduxit, *d. §. 7. Inst. l. 5. pr. §. 1. & seqq. D. b. t.* quæ etiam ex Jctorum interpretatione competit, si manus saltem adversus aliquem, quasi vapulaturum, levatae sint. *l. 15. §. 1. D. b. t. Bocer. d. l. Duaren. ad b. t. cap. 1.* item si quis librum ad infamiam alicujus pertinentem scripserit, composuerit, ediderit, dolove malo fecerit, quod quid eorum fieret, quo casu actio prodita est, cum ex eadem lege Corneliâ (vel fortassis aliâ; id enim incertum esse ait Duar. d. l.) *l. 5. §. 9. D. b. t.* tum ex constitutionibus Imp. *l. un. C. de famos. libell.* sicut etiam actio ex hisdem competit in casu, *l. 10. C. de Ep. & Cleric.* si quis sine scriptura aliud quid, ut picturas, imagines, in notam alicujus produxerit: adversus quem agi poterit ex SCto, *d. l. 5. §. penult. D. b. t.* superioris legis, quæ de famos. libellis loquitur, supplenda & interpretanda causa facto. *Duar. dict. loco.*

#### Th. L.

De omni autem injuria actio competit vel civilis vel criminalis, *§. 10. Inst. l. 37. §. 1. D. b. t.* non quidem cumulative, sed elective, ita ut civilis actio consumat criminalem, & hæc vicissim illam, *l. 6. l. 7.*

*l. 7. §. 1. D. b. t. cum utraq; tendat ad vindictam, l. 2. §. 4. D. d. collat. neq; æquum sit, ut unum delictum, variis pœnis coërceatur, l. 41. D. de pœnis l. 14. de accus. Wesenb. bic. n. 14. Treutler. d. thes. 6. H. Gail. l. 1. observ. 65. num. 1.*

Th. LI.

Civiliter actio injuriarum pœnalis institui dicitur, cum actor injuriam æstimat, & pœnam pecuniariam sibi adjudicari petit, *Treutl. d. l. Gail. d. obs. n. 2.* quam æstimationem judex sequitur, vel minoris rerum condemnat, prout ei æquum videbitur, *§. 7. Inst. l. 17. §. 2. l. 37. §. 1. D. b. t.* consideratâ secundum tempus injuriæ illatæ, *l. 21. D. b. t. l. 1. pr. §. 1. ac. seq. D. de pœnis:* personarum dignitate, vitæq; honestate, *d. §. 7. Inst. b. t.* & injuriæ illatæ qualitate, utrum videlicet ea atrox sit, an levis: cum illa tanquam major & contumeliosior, *§. 9. Inst. l. 7. §. 7. l. 17. §. 3. D. b. t.* majorem etiam pœnam mereatur, *G. J. Arg. ad. h. t. th. 28.*

Th. LII.

Quod si reus propter inopiam æstimationem injuriæ pecuniariam solvere non possit, in corporalem pœnam hæc convertitur, *l. 35. D. b. t.* ut ita, qui non habet in ære, luat in corpore: quod in delictorum causis generaliter obtinet, *l. 1. §. ult. D. de pœnis l. 7. §. 3. de Jurisd. Et. l. ult. de in jus vocand. Bachov. ad Treutl. th. 6. lit. G. & H.* ne tenuioris fortunæ hominibus ad delinquendum fenestra aperiatur.

Th. LIII.

Civilis injuriarum actio semper privatum est judicium, & datur saltem ei, qui injuriam passus est: & prætoria quidem competit, sive eam, quis passus sit immediatè in propria, sive mediatè in alterius persona; Ea verò, quæ ex lege Cornelia descendit, propterea quod aliquis pulsatus, verberatusvé, domusvé ejus vi introita sit, tum demum locum habet, cum aliquis per se injuriâ affectus fuit, *l. 5. §. 6. D. b. t.*

Th. LIV.

An verò hæc actio cedi alteri possit, inter DD. quæritur. Sed magis nobis arridet affirmantium opinio, propterea quod omnis obli-

obligatio & actio alicui competens regulariter cedi possit. *l.4.D.13. l.ult. C. de hered. vel acti. vend.* nec usquam actio hæc injuriarum excepta reperitur. *Bocer. d. disp. th. 58. Wefenb. hic. n. 13. Gothof. ad d. l.4.D. de hered. vel acti. vend.*

#### Th. LV.

Criminaliter actio injuriarum intentatur, cum petitur, ut vel pœna corporalis reo infligatur, vel etiam pecuniaria fisco applicetur, non autem, ut actori quicquam præstetur. *Treutler. & Gail. allegat sup. ll. & viri quidem illustres, quiq; super eos sunt, eorumque uxores ac liberi, masculini sexus vel filia, patribus aut maritis illustribus adhuc superstitibus, actionem injuriarum criminaliter & persequi & suscipere etiam per procuratores possunt; ceteri vero minimè. §. 10. Inst. l. ult. C. b. t.* quod tamen moribus hodie non ita semper observari, testatur *Treutl. d. l.*

#### Th. LVI.

Criminalis injuriarum actio privatum quoq; regulariter est judicium; interdum autem etiam publicum, & cuivis è populo executio ejus datur, *secundum §. 1. Inst. de publ. jud.* ut si agatur 1. de famosis libellis, epigrammatibus, aliove quo sine scriptura ad infamiam alicujus producto. *l. 5. §. 9. & seq. l. 6. D. b. t.* 2. Si quis in Ecclesiam Catholicam irruens, sacerdotibus & ministris, vel ipsi cultui ac loco injuriam fecerit. *leg. 10. C. de Ep. & Cler.* 3. Si quis pulsatus aut verberatus, aut domus ejus vi introita sit. *argum. l. 12. S. fin. D. de accus. jum. l. 2. §. 32. ubi Gothofr. de O. J. Pacius in anal. C. ad hunc tit. n. 9. Bocer. d. disp. th. 63.* quod postremum tamen hodie non amplius obtinere, statuunt *Vultejus ad §. 10. Inst. b. t. Treutlerus d. th. 6. lit. F. Cujacius in parat. C. ad h. t.*

#### Th. LVII.

Pœna injuriarum, si criminaliter privato judicio agarur, extraordinaria, & modò levior, modò gravior est, pro modo delicti & per-

C

& personarum. §. 10. *Inst. l. 43. & l. ult. D. b. t.* ac plerumq; qui humilioris loci sunt, fustibus subjiuntur; ceteri verò vel exilio temporali, vel interdictione certæ rei coërentur. *d. l. ult. D. b. t.* fin intenteur publicum iudicium, reus in poenam lege definitam condemnatur. *l. 8. de public. judic.*

Th. LVIII.

Et quidem, qui libellum famos. scripsit, composuit, edidit &c. jubetur ex lege esse intestabilis. *l. 5. §. 9. D. b. t.* sicut & ex SCto ille, qui epigrammata, aliudvè quid sine scriptura in notam alicujus produxit, aut emendum vendendumvè curavit. *d. l. 5. §. penult. D. b. t.* Ex constitutionibus porrò Imp. poena ejus delicti capitalis est. *l. unic. C. de fam. libell.* sed ex *constit. crim. Caroli V. art. 110.* hodie distinguitur, ut, si crimen objectum falsum sit, poena talionis teneat; sin verum, arbitrio judicis locus sit.

Th. LIX.

Injuria sacerdotibus vel ministris sacra facientibus, vel divino cultui, vel ipso loco sacro facta, capitaliter punitur, *ex l. 10. C. de Episc. & Cleric.* quam corrigit Novella *123. c. 31. Auth. sed novo jure, & ibi Glos. C. titul.* Ex lege Cornelia si publico iudicio agatur de eo, quòd quis pulsatus aut verberatus domusvè ejus vi introita sit, reus, si homo liber sit, partis tertiæ bonorum publicatione, puniri videtur. *arg. l. 12. §. ult. in princ. junct. vers. item Cornelia. D. de accus. sin servus, extra ordinem duriori poenâ plectitur, d. l. 12. §. ult. in fin. D. de accus. Bocov. d. disput. thes. 87.*

Th. LX.

Enim verò quocunq; tandem modo injuriarum poenali iudicio agatur, condemnatum suo nomine, ut & extra iudicium dato pretio pactum, ne secum ageretur, infamia manet. §. 2. *Inst. de poen. remerè litigant. l. 6. §. 2. & seq. D. de his, qui notant infamia:* & licet ab interpretibus multæ cautelæ traditæ sint, quibus infamia evitari possit,



possit, de quibus *Gailius 2. obs. 102. & seq. Wesenb. ad tit. de his, qui no-  
tant infamia in fine*: pauca tamen videntur solida & vera: estq;  
omnium optima ac tutissima cautio & ratio vitandi infamiam, vi-  
tare ipsum delictum, uti eleganter ait *Rittershusius ad §. 10. Inst. b. t.*

#### Th. LXI.

Extingvitur injuriarum actio i. remissione, eaq; vel expres-  
sa, quae maxime fit conventionem partium, per pactum scilicet, trans-  
actionem & jusjurandum. *l. ii. §. i. vers. proinde l. §. §. D. b. t. l. 17. §. 1.  
l. 27. §. 4. D. de Pactis.* vel tacita, quae rursus colligitur cum ex simpli-  
ci taciturnitate, si injuriam passus eam statim ad animum non re-  
vocaverit, sed dissimularit. *§. fin. Inst. b. t. l. ii. §. i. D. eod.* tum ex fa-  
ctis, quae injuria gratiam factam esse arguunt: qualia sunt familia-  
ris saluatio, colloquium, convictus, manuum junctio, osculum, &c.  
ab eo, qui injuriam accepit, ultro ac motu proprio, non occasione  
ab alio praebita & quasi ex necessitate profecta. *Schneidw. ad §. fin.  
Inst. b. t. n. 7. Bachov. ibid. Wesenb. in paratit. ad b. t.* quanquam inju-  
ria, sive expressè sive tacitè remissa, damnum & id, quod interest,  
non censeatur remissum. *Wesenb. d. l. Bocer. d. disp. th. 77.*

#### Th. LXII.

Sed an etiam pater injuriam, filiofam. illatam, quam & suo  
& filii nomine persequi potest. *l. 41. D. b. t.* in praedictum filii remit-  
tere & donare valet? Adfirmatur, nisi persona patris sit vilis, & ab-  
jecta, filii verò honesta. *l. 17. §. 12. & seq. D. b. t.*

#### Th. LXIII.

Exspirat injuriarum actio 2. tempore: rei quidem persecu-  
toria, quae ad reclamationem agitur, spatio 30. annorum. *pr. Instit.  
de perper. & tempor. act. Schultz. in synopsi ad b. t. lit. I. Bocer. d. disp.  
thef. 72.* poenalis verò praetoria anno, eoq; non continuo, uti mul-  
ti statuunt, sed utili. *l. 14. §. 2. D. quod metus causa. Surb. disp. 16. apf. 68.  
Bachov. ad Treutl. 2. disp. 30. th. ult. lit. G. Gail. 2. obs. 105. Myns. §. obs. 17.  
sed*

sed quæ ex jure civili specialius sic dicto descendit, perpetua est,  
*d. pr. Institut. de perpet. & temporal. action. Subolt. d. dissert. aphor.*  
*70. Treutl. d. l. ibiq; Bachov. Mysi. obs. 84.* nisi publicam vindictam  
persequatur: tunc enim tantum 20. videtur durare annos; sicut  
& cætera publica judicia regulariter. *l. 12. C. ad leg. Cornel. de fals.*  
*Bachov. ad S. fin. Inst. h. t. & ad Treutl. d. l.*

Th. LXIV.

Injuriarum autem actio, sive rei persecutoria, sive pœnalis  
sive, semel judicio inclusa per litis contestationem, salva permanet,  
& quemadmodum reliquæ actiones, ad 40. annos extenditur, ex  
eo numerandos, ex quo novissima processit cognitio, postquam  
utraq; pars cessavit. *l. unic. S. 1. in fin. C. de annal. except. l. ult. in fine*  
*C. præscript. 30. vel 40. annor.*

Th. LXV.


Tollitur denique actio injuriarum morte sive ejus, qui inju-  
riam fecit, sive ejus, qui injuriam passus est: neque enim vel in he-  
redes vel heredibus datur. *S. 1. Institut. de perpet. & temporal. action.*  
*l. 13. pr. D. h. t. l. 10. S. 2. si quis caut. in jud.* Nisi lis jam ab ipsis per-  
sonis principalibus contestata fuerit. *d. S. 1. Institut. de perpet. &*  
*temporal. d. l. 10. S. 2. si quis caut. l. 26. l. 58. de O. & A.* quo tamen  
facto, criminalis injuriarum actio morte rei nihilominus perimi-  
tur. *arg. l. 20. D. de publici. judic. l. 1. & seqq. C. si accus. vel neg. mort.*  
*Bocer. d. disput. th. 69.*

Tantum.

SOLI DEO GLORIA.


00 A 6415

10/17



1017





66.57.  
I. N. D. N. J. C.

# Disputatio Juridica

De

# INJURIIS,

QUAM

Approbante amplissimo & nobilissimo  
Jctorum in Illustri Academia Regio-  
montana ordine,

P R E S I D E

ADAMO RICCIO J. U. D.

& Professore Primario, &c. Dn. præceptore & fautore  
suo omni observantiæ & honoris cul-  
tu protequendo.

Publicè examinandam exhibet

FRANCIS: HERMANNUS von Puttkamer  
Livonus.

In auditorio majori,

Ad diem April.

---

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS,

ANNO MD. CC. XLVI.

